DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS
IN REGNIS
HUNGARIÆ ET SLAVONIÆ
ENDEMIIS

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE
LAUREA RITE OBTINENDA
IN CELEBERRIMA
ACADEMIA JOSEPHINA
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT:

Carolus Turkovits,
Eszekino Hungarus,
C. R. Medicus Castrensis.

In Theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die mensis Aprilis 1840.

VINDOBONAE.
TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

SERENISSIMO PRINCIPI

ATQUE

CLEMENTISSIMO ARCHIDUCI

L E O P O L D O,

CAESAREO PRINCIPI AC ARCHIDUCI AUSTRIAE; REGIO PRINCIPI HUNGARIAE ET BOHEMIAE ETC. LEGIONIS PEDESTRIS HUNGARICAE 53tiae PROPRIETARIO, NEC NON C. R. MILITUM TRIBUNO, ETC. ETC.

Serenissime Princeps,
Augustissime Archidux!

Faxit clementia atque benignitas, qua **Sacratissima** atque **Potentissima, Serenissime Princeps, Stirps Tua** saluti cunctorum Austriae fidelium subditorum ut propriae consulere, ac firmo foedere aversos dissidentesque gentium animos jungere, **Tuque**, ne dies gloriam delere possit ulla, divino ad illas feruntur munere, ut subditorum devotissimo, teneraeque pusillae mentis soboli **Tui** potissimum nominis implorare tutelam fuerit concessum.

Sollicite quidem, ast tanta, qua in me, qui in legione, magno **Tuo** nomine insigni, hungarica 53tia, decem annorum serie officiis servire medico-castrensibus gaudeo, beorque, haud invitus inclinare dignaris, benevolentia relevatus, speque fretus jucunda tenues trado Orbi literato

conatus; mira perfusus animi voluptate has Pieridum primitias sub potentissima clientela magnanimi artium, literarumque **Tutoris** publici fieri juris.

Indulge igitur, **Serenissime Princeps**, ut dissertationem inauguralem meam „de febribus intermittentibus in Regnis Hungariae et Slavoniae endemiis," ut sincerae ac sempiternae submissionis gratitudinisque monumentum, **Tibi Serenissime Princeps**, commendem, **Tibique** ad pedes procumbens offeram.

Serenitati Tuae

submissus ac devotissimus
Carolus Turkovits.

PROOEMIUM.

Suum cuique tribue.

Summis in votis est, ut assiduae operae, quam quinquennio studiorum in C. R. Academia Josephina Medicinae navavi, specimen publici faciam juris. Lubens adripio pennam, ut profitear, omnes, quae mihi sunt, vires scientiae dicatas, ratus — me aliquantulum intellexisse, omnium institutionum sacrarum et profanarum, quibus mortales uti necessitas aut flagitium cogit, difficillumam esse medicam, quae incassum almae matris velum, radiis caducae mentis, in grandevae omnigenaeque naturae sinu oberrantis tollere adnititur: ignis fatuus in caligine noctis (*Tőltényi*).

His animum oblectans, dulcis Patria, quam canescentis endemii morbi pernicie vix non semper cruciatam, viribusque novissima patrum memoria accensi laetas Pannoniae regiones, multosque camporum apricorum vastantis ferocia, proh dolor! nedum liberam comperire queis, dignissimum tentaminis literarii mei primi largitur argumentum, Febres quippe intermittentes endemicas, quas sagacissimo jatrosophi jam ingenio atque industria praesensere, pro dissertationis inauguralis suppeditans themate. Gravitatem vero arguens materiae, aliis ingeniosioribus hanc absolutam iri spero, meque

solum, cujus fama in tanta scriptorum turba in obscuro est, imbecillis ingenii sobolem, veluti dissertationis inauguralis commune postulatum progenuisse, consolor. Disserens igitur de febribus intermittentibus in Hungaria et Slavonia endemiis causas primo earum dilucidare, inque enodandam, haud consulens famae aut orbis medici votis satisfacere cupiens, rationem intermittentium novissimo tempore frequentius emersarum, earum in alios morbos effectum, discrimen inter intermittentes paludosas et ceteras, tractaminisque, ad summa referre statui desideria, in fontem horum malorum indagando curas omnes in servanda sanitate publica evigilare, eoque attentionem praeprimis Reipublicae convertere, cujus potissimum subsidio, conatus hypocraticos longe exsuperante, principiisque Hygienes enodatis cives se a morbi pernicie tueri, eum frenare tandemque enecare valeant. Methodum quapropter curativam pluribus adstantibus virorum operibus, quae haud quidquam desiderari aut mea perexigua locupletari sinunt experientia, exponendam e re esse duxi, eosve, quos hasce pagellas acie criterii, auctoremque jurgiis adfligere placuerit, dignos criminatores verborum Horatii „novem prematur in annis“ hicce locum haud tenentium, meminerint, monitum velim. Dixi.

CAPUT I.

Causae febrium intermittentium in Regnis Hungariae et Slavoniae endemicarum.

---

§. 1.

Febres intermittentes, quae in Hungaria et Slavonia endemice grassantur, antiquitusque dominatum in communem harum regionum calamitatem tenuerunt, multiplici praeprimis advenas adficientes clade, infractaque hucdum vigentes vi, prophases haud aliunde, quam ex *physico* horum regnorum *statu*, incolarumve *vivendi ratione* petunt atque agnoscunt.

§. 2.

Physicum horum contemplans regnorum statum, animadvertes prophases febrium intermittentium *pandemicas* cum aliis, in quibus grassantur, his quoque regionibus communes esse, et quemadmodum locum natalem in globi terraquei haemisphaera septemtrionali et magis ad orientem quam occidentem reperimus, profecto Hungaria et Slavonia intra eos polares ac elevationis limites sitas agnoscimus, in quibus febres intermittentes inde a saeculis dominari non cessaverunt, et hic tantum a febribus intermittentibus aliarum orbis ditionum

eo distinguuntur, ut respectu formae magis cum intermittentibus australium regionum, ubi organa praevalere videntur abdominalia, gangliorum quippe intermittente ejusve nisu in malignas conveniant formas.

§. 3.

Hungaria igitur, quae intra quadragesimum quartum, et quinquagesimum gradum latitudinis septemtrionalis, et trigesimam secundum et quadragesimum secundum longitudinis orientalis sita, respectu *geographico* jam scaturigini horum morborum prima suppeditat seminia.

§. 4.

Si porro ad situm regni diligentius attenderimus, cernimus Hungarium ad septemtrionem asperorum montium, qui systemati hercynico - carpathico adhaerent, et quorum altissimus, quem Poyanna-Ruska nominant, in mille quingentas quinquaginta, ut dicunt, *Toises (orgias.)* exsurgit, jugis circumdari ac includi, niveisque eorum verticibus innumeras Alpes formari, quae a Danubio in comitatu Possoniensi assurgentes longa quasi catena, quin interrumpatur, ad angulum regni usque orientalem se extendunt, moenium instar Hungariam a Gallicia sejungentes. Ad orientem quoque terminos constituunt edita montium juga, nullis ad meridiem et occasum terram circumdantibus aut includentibus.

§. 5.

Dum igitur montes ab oriente et septemtrione omnem Euro et Aquiloni in regnum intercludunt aditum, facile molles ex Bosnia, Servia, Bulgaria et Vallachia

patriam perflare conantur Austri, caloribus aërem exaestuantes. Stoll. (Aphor. 408) autem dicit: „Popularis febris grassatur, dum Austri molles, diu spirantes, mador multus frigidusque vim addunt morbo."

§. 6.

Regio ipsa *) Hungarica veluti vasti maris in immensas patet planities, quarum una, quam mille quadratica milliaria magnam, Essekinum inter et Huszt, lacum Balaton et Magnovarudinum ad tres Dibisci ripas extensam conspicis, et cujus humillimus locus Uj-Palanka dicitur, tanta est, ut quasi interminata oculo circumspicientis adpareat. Regni vero totius locum infimum, Orsovam, quam septuaginta orgias Vindobona profundius sitam scribunt, observamus. In immensis hic camporum aequoribus dissimilia et multiplicia, admirabilia et simplicia, utilia et nocifera, summa et vilia se visui obtrudunt humano. Haud raro ex apricis, quos pervagantur, illustria aberrant in uliginosas et paludosas flumina terras. Fertili et cultissimo agro vix non saepius deserta, quae interdum in milliaria plura quadratica se extendunt, et arinosa adsociantur loca. Hic pratorum et nemorum adspectus mirifica perfundunt animum voluptate, ibi arundo, misera paludum progenies, nudas mutasque interrumpit solitudines.

§. 7.

Admoveamus quoque attentionem Slavoniae regno, cujus media pars ab Illova ad Danubium usque infra Vukovarinum cum septemtrionali Syrmiae regione mon-

---

*) Bilek. Statistik von Ungarn.

tibus attamen in magnam, quemadmodum mons Papouk trecentas nonaginta *Toises (orgias)*, ut vocant, offert, haud exsurgentibus altitudinem consita est; majorem partem comitatus Verőczensis a Danubio allutam planam terraeque situm adeo humilem observamus, ut aquae, quin vehementius moveantur, jam super ripas amnium effundantur, agros segetesque longe lateque inundantes. Loca praeterea ubique conspiciuntur depressa, aquae stagnantes, densae profundaeque silvae, prata et agri laete frugibus pabuloque referti, quorum tamen gramina ex prioribus annis relicta saepe putrescunt. Solum, quod terra aluminosa, mista nigrescente, ut nominare placet, constat, colendis frugibus, tritico inprimis, summa annonae ubertate perquam idoneum.

§. 8.

Compertum autem respectu terminorum et relate ad *elevationem* habemus, febres intermittentes loca prae aliis diligere depressa, idque uno eodem ostentare spatio. Testatur sic *Tőltényi* in Hungariae, cujus in uliginosis ac depressis memorum regionibus praedia non raro conspiciuntur, aedificiorum locis altioribus homines rarius, quam humi depressis plecti febribus intermittentibus. Id quidem ne mirum, dum in cunctis harum regionum locis praediisve, quae obvenire solent, atria domuum super terrae superficiem haud unquam promineant, imo infra eam aedificentur; habitacula nullis tecta tabulis, quam potius contusa et compressa sternerentur argilla, parietesque, lapidibus saxisque deficientibus, lateribus vero, igne durefactis a ruricolis pretio nimio haud adquirendis, ex argilla construerentur, neminem dico latebit, situm modumque aedificandi habitacula, ad plurima insuper loca sine fumariis condita, fumo, squa-

lore, fuligine, aliisve vaporibus nociferis, morbis favere, febribusque patrocinari intermittentibus. Quaenam ratio his malis mederi valeat, politicae utique est administrationis. — Schönlein quoque refert, incolas Romae, dum in humilioribus aedium dormiunt cubiculis, febribus certo corripi intermittentibus, quas secus in editioribus immunes relinquunt. Cui si contuleris Hungariae et Slavoniae situm, ut diximus nimis depressum ac humilem, morbum saepissime has regiones invadere, vix erit, qui non explicare valeat. — Kramer plane eo seductus, ut asseruerit, Hungariam situ humili cum Guinea, Sumatra ac Antillis comparari posse, iisdemve Hungaros, quos Galli, Hollandi et Angli in illis patiuntur, plecti morbis.

§. 9.

Alia porro momenta, quae ab utraque hac terra febri intermittenti, ejusve ortui, vitaeque tenori offeruntur, suam e statu harum regionum *geognostico*, e configuratione territorii propria, e cultura atque inprimis e *fluviorum cursu* ducunt originem. Hic enim locorum fluvii haud multum proclives dilabuntur, suasve ripas depressas saepius pro aquarum coacervatarum multitudine transgressi, adjacentes agros inundant, ansam stagnis, paludibusque, quoniam aquae vix defluere valeant, largientes. Accedente nunc aestatis calore, nociferis, quos exhalant, fluidis gasiformibus, in specie carbone et sulphure phosphoroque hydrogenatis, aut propriis febris miasma producentibus materiis, necessariam praebent paludes occassionem, morbum huncce producendi, quemadmodum pestis *(Tőltényi)* in Aegypto, et Cholera in India orientali nonnisi aquis regressis, illic Nili, hic Gangis endemicae emersere.

§, 10.

Tales fluvii, quorum numerus haud exiguus, Hungariam lento perfluunt cursu, alveisque plus centum sexaginta suis aquas Danubio adducentibus, citra soli ubertatem maximam, in planis vastis multas quoque paludes et stagna efficiunt. Quis est, qui non noverit, paludes et stagna comitatus Simeghiensis lacui Balaton extra ripas, quae aquarum haud excedunt aequora, redundanti in acceptis referri, atque fluvium Sir, qui juxta finem comitatuum Simeghiensis et Veszprimiensis atque per Tolnensem ad Danubium adproperat, placido et lento per vastas planities cursu, multis magnisve molis exstructis fluentem impediri, paludibusque, quae in milliarium magnitudinem expanduntur, aliisve sanitatem exurentibus patrocinari potentiis. Quare has regiones, quas suam ob fertilitatem magna quoque hominum multitudo incolit, febres intermittentes lubenter vincire observare est. Omnibus denique accedunt stagna amnium Kapos, Hernathi, Ainyae in comitatu Simeghiensi, et latiores adhuc paludes haud procul Dravum, et ultra eum quoque in humilem usque Slavoniae excurrentes partem, in qua similem statum topographicum soli, paludibus et fruticibus referti, majoremque vim febris intermittentis deleteriam comperimus. Magna pars quoque comitatus Albae-Regalensis inundatur fluvio Sarviz, pulcherrimaeque Albae-Regiae possessiones miasmatum e paludibus exhalatorum deleteriis effectibus patescunt *(Tőltényi)*. Quis porro invenitur *), cui palus Ecsed in comitatu sit incognita Szathmáriensi? cui incognitae paludosae trans Danubium regiones juxta ripas fluvii albi et nigri Chrysii, quibus amplae partes

---

*) Bilek. Statistik von Ungarn.

comitatuum Szabolcsensis, Bihäriensis, Hevesiensis, Bekessiensis, Aradinensis et Cumaniae majoris agriculturae inservire quoquomodo remorantur. Varia eorum nomina, quem fugiant, Veres-Nád, Heretsényi, Szarrétye, Pejtó, Javasiret, et Varsány. Quis non norit paludes ditionum, quae ad Banatum, easque, quae ad comitatum Bereghensem et Szernyensem referuntur?

Pertinent huc quoque Danubius et Dibiscus, ut adpellare placet, mortui; ceu latae aquarum colluvies et paludes Danubii, Dibisci, Dravi et Marisi aquis inundantibus promanatae. Referendae etiam huc paludes Mohacsinenses, ad Dibiscum septem milliaria in longitudinem infra Kanisam usque extensae. In Slavonia ejusve praeprimis comitatu Verőczensi, confiniisque militaribus regiones haud paucae conspiciuntur paludosae, quarum Kologyvarenses et Palatsaenses prope Eszekinum amplissimae in latitudinem adeo patent, ut partem angustissimam haud citius, quam duabus trajicere queas horis.

§. 11.

Ex calculo adcuratissimo compertum habemus *), paludes et stagna Hungariae, quae anno 1792 spatium plus centum et octo milliarium quadraticorum tenuere, nunc temporis, cultura et diligentia melioribus terris, haud plus nonaginta duo explere.

In Slavonia quoque plures regiones **), quemadmodum prope Essekinum, Csepinum et Tenye, quae viginti annis ante paludes, adituque difficiles fuere, stagnis exsiccatis, coelique temperie amica modo agriculturae,

*) Bilek. Statistik von Ungarn.
**) Idem.

modo pasculo inservire visuntur. Ast non tam sanitatis cura incolarum, quam jacturae emolumentorum, quibus paludosas quoque regiones metiri solent, praediorum possessores per annorum seriem impellit, fossas, per quas aquae distribuantur, canalesve construi, quibus non modo suas spectare utilitates, sed ipsam etiam sanitatem adjuvare coguntur publicam. Paucos tantum comitatus, ut referam, in quibus mos ille observatur, Albam-Regalensem nomino et Tolnensem, Baranyensem, Simeghiensem, Szabolcsensem, Hevesiensem, Bekesiensem atque Aradinensem. Ut vero a privatorum in hac industria discedam, dico solum quae suprema Regni administratione, Praeside Domino, Domino Augustissimo Archiduce **Josepho Palatino** novissimis temporibus in ordinandis humilibus Danubii et Dibisci regionibus, redigendisque in ordinem lacus Balaton, fluminis Sárviz, aliorumve cursibus mirabilis emerserunt utilitatis. Ea autem, quae licet, desiderata aut coepta, absolvi quum haud potuerint, propriae hujus regni constitutioni impertiri malo; enimvero si effici posset, ut aquae sublatis in alveo molis celerius delabantur aut stagnis exsiccatis fossae per agros, qui aliorum potestati serviunt, ducantur, talia sunt singulorum desideria ac vota, ut resistant, impediantve, quae in publicam suscipiuntur salutem, ipseque labor paribus haud referri potest meritis, aut penitus intermitti oportet. Lacus et flumina, quae, quemadmodum retulimus, in variis Hungariae regionibus, variisve temporibus altitudine saepe humum cultam, agrosque et prata exsuperant, has perpetuo inundarent, stagnis, putreque halitu non solum undis diffusis, ac fluctibus, sed etiam morbis pandemiis, quemadmodum Eugenio principe 1717 imperium militare tenente in ejusdem exercitu grassabantur, regnum in discrimen ponerent, ni providentia Reipublicae, aggeribus et canalibus, summis impendiis constructis optimo-

que studio quotannis conservatis, deleteriis horum malis quoquomodo eriperentur cives. —

Comperiisse quemque quis nesciret, ut assequi hic valeret scopus, canalem in comitatu Bácsiensi, Francisco I. sceptra tenente fundatum, Danubium Dibisco jungentem; canales Sarvizenses, qui e paludibus ejusdem nominis scaturientes, Albam Regiam inter et lacum Balaton divagantur; Carasizam denique in comitatu Baranyensi, Darszinam in Syrmia, Danubium inter et Savum exstructos fuisse canales.

§. 12.

Aërem igitur *paludosum* ut principem febrium intermittentium causam declarandam, probrumque inter cunctas aëris nocivi qualitates per eminentiam mereri statuo, quod et abunde topographiae docent medicae, paludum vaporibus ortum febrium debere exquisite intermittenium, easve aëre exhalationibus stagnorum et paludum foedato disseminari, locisque plane incognitas, in quibus aut parvulae aut nullae reperiuntur paludes. §. 13. 19. Febrium vero intermittentium non eadem in diversis Hungariae et Slavoniae vis viget regionibus. Vulgares grassantur apud incolas vallium, medio Danubio adjacentium, comitatuumque: Szabolcsensis, Bihariensis, Bekessiensis, Simeghiensis, Bácsiensis, Banatus, Temessiensis et Veröczensis. Regiones vero montosas ac apricas terras rarissimae invisunt febres intermittentes.

§. 13.

Quamdiu autem regio quaedam aquarum inundantium copiam sustinere debet, solius aquae exhalationes damna illa non injungunt; quodsi vero calor solis aqua-

rum copiam diminuerit, et plantae in imo stagnantium aquarum libero aëris tepidi accessu in vapores putres, mensibus praeprimis Augusto et Septembri, resolvuntur, febres intermittentes durum exercent principatum. Huic malo accedit: inopia aquae ad bibendum necessariae, durante aestu et ariditate in nonnullis harrum terrarum regionibus enata, quo fit, ut pauperes has incolentes regiones ad sitim fallendam aqua stagnorum et canalium, sale, terra, imo vegetabilibus remixta, sanitati perquam noxia uti cogantur, quaequae haud raro adeo ponderosa est, ut vinis spirituosis hungaricis adeoque pondere levioribus, nullo petroso aut arenoso obveniente solo, haud facile permisci, corrigique possint. (*Tőlténgi*)

§. 14.

Paludum miasma, quod concernit, ejusve naturam et proprietatem, quo febres intermittentes promanant, e chemicis experimentis nedum cognoscere et perspicere concessum, Novis tamen, quae a chemiatricis solertiori instituenda ingenio, experimentis uberiorem cognitionem de hac re competituram spero.

Miasmata intermittentium, quae nullo discrimine tum animalium, tum vegetabilium putrefactis in paludibus et stagnis particulis ortum deberi diu putaverunt, investigationibus adcuratioribus *Bracheti* edocti, vegetabilium putrilagine solum protrudi, febresque, quae nomine typhi veniunt, ex animalium miasmatibus scaturire. In hac doctrina *Audouardo*, qui typhum infectioni animali adscribit, concordamus. (*Recherches sur la Fièvre jaune.*) Eam quoque rem ad nostram mentem *Barthmanns* et novissimis temporibus *Magendi* expertos fuisse adserunt. *Brachet* ad sententiam confirmandam sequentia profert scitu digna:

„Vidi coriariorum officinas in medio regionum, „quae febribus abudabant intermittentibus, exstructas, „quin post annos imo ulla infectio observaretur; visitavi „haud breve per tempus theatra anatomica atque noso-„comia, quin collegarum contagioso febrium intermitten-„tium fomite prehensum compererim; pervolvi auctores, „quorum ullus, typhi epidemias ex animalium miasmati-„bus scaturire defendit; quemadmodum nunquam febres „intermittentes tum endemicas tum epidemicas e sanorum „aut aegrorum consortio, ex emanationibus animalium aut „cadaverum putridis natas observaverunt. Bellorum, quae „adtulere, horrida typhum, nusquam intermittentes con-„cernebant. Haud aliter morbi epidemici vici Pontin in „Gallia (qui ante portas Parisiorum ita situs, ut ventis, „emanationibus sordidis domus excoriatoris Belevillensis „inquinatis, pateat) sub typhorum forma comparent. Pari „modo carnifices, coriarios, chordarum opifices, et simi-„les, qui aëre animalium exhalationibus scatente perflantur, „morbos intermittentes adlicere nunquam expertus sum.

„Luem hanc febris intermittentis igitur locis, quo-„rum aquae stagnantes, putridis materiis organicis inqui-„natae sunt, propriam observamus; quodve probatum inde „habemus, quum pro lubitu febres intermittentes epide-„micae in loco licet saluberrimo cannabis extricatione „provocari, sublataque abigi et aboleri possint." Equidem id ipse clarissimus Professor *Tőltény* in Hungaria, in qua magnas cannabis messes fieri utique constat, expertus, influxuque, quo in sanitatem gaudent publicam, assidua Reipublicae cura dignas censeo. Continuat sententiam *Brachet* his denique verbis: „Effectus hicce ex „cannabe extriccata satis superque docet, febres inter-„mittentes tetra vegetabilium colluvie enasci atque fo-„veri." (*Archives générales de médecine. Tom. IX. pag. 380—381.*)

§. 15.

Paludum miasmata ope exhalationum aquarum, putribus plantis refertarum per aëres disperguntur, quamobrem in paludosis non solum, sed et nemorosis regionibus in lucem emergunt intermittentes, aëris vi, quam in organismum exercet, inquinati, ut communi intermittentium scaturigini adscribendae.

§. 16.

Qui plus attentionis praebuerunt paludum miasmatibus, observaverunt, majori vespere et noctu polluisse efficacia, somnoque praecipue sub divo quam maxime in organismum adjuvari. Modus, quo rem interpretamur, prae ceteris sequens verisimilitudini prope accedit: paludum miasmata vespere noctuque condensa, aucta vi; die vero, solisque ardore extenuata, minuta animadvertuntur. Respiciens quoque noctes diuturniores minusve calidas, dies vero breviores et calidiores, processus, quibus miasmata viribus intenduntur, et causam et effectum facile persequeris cogitando ac intelligendo. Aquarum vapores interdiu modum extensi, dispersique per aërem, ad vesperam nebularum adquirunt formas, quae pro rerum habitu modo densiores modo tenuiores, licet coelum sit serenum, in terram delapsae sub divo morantes humectant. Nervis, quos ardor aestivus jam sensiliores redidit, periphaericis unacum tela cutanea ut organis secretoriis aegre adfectis, vitia in interiora, utpote gastrico-cholopoëtica organa, in quibus jam constitutio aestiva dispositionem elicuerat morbosam, propagantur. Quam maxime vero systema nervorum automaticorum, quod tot potentiis nociferis ventilatum, quodve propria, qua pollet, natura percipiendis influxibus ath-

mosphaericis singulariter idoneum, labefactatur. His omnes, si adjicimus, incolas Hygienes principiis vix instructos, vestimenta levia, quibus interdiu teguntur, eadem vesperi retinere, fenestras atque fores domorum, ut frigidiusculo aëre gaudeant lassi tostique calore, haud clausas observare, libenterque in compluvio et sub divo versari, quis est, quem stupeant sequelae? (*Tőltényi*) Ceterum verisimilitudini non abhorret, miasmata paludum deleterium exserere effectum, postquam absorpta fuerint, noctuque alacrius quam interdiu resorbi. Experti quoque sumus, paludosas regiones incolis minus, quam advenis infensas, ex asueto earum in organa influxu interpretandas.

§. 17.

Ortus febrium intermittentium *intensae* porro, quam interdiu percipis, *caloris vi*, *aërisque fervidi* sub crepusculo *subitae transmutationi*, ut in barometro differentiam novem imo decem graduum indicatam reperias, atque *fluido electrico* in aëre opimanti *nebulis exaequando* debetur. Hanc aëris proprietatem in humilioribus Hungariae ac Slavoniae regionibus obvenire, quin imo subitas caloris mutationes, uno eodemque loco et tempore deficere videre est.

§. 18.

In multis Hungariae regionibus, praecipue illis, quae aquis operiuntur stagnantibus, *Acorum Calamum aromaticum*, veluti plantam perennem sponte germinare conspicis, quam alii stagnantium aquarum singulari naturae tribuere, alii recentioresque, praeeunte magno Humboldto, miasmatibus intermittentium producendis

proprie favere, plantisque aëri oxygenium detrahentibus, hydrogeniumque exspirantibus adscribi contendunt, adparitione febrium intermittentium in locis, quae acorum gignunt, frequentissima comprobantes.

§. 19.

Voventes denique attentionem *vitae rationi* incolarum harum terrarum, qui victu tenaci, dyspepto atque pingui vitam sustentant, in specie carne suilla, ac bovina crassa vescuntur, suumque plus *) vicies sexies centena et quinquaginta quotannis cousummunt; deficiente nonnullarum regionum aqua ad hauriendum apta, aestivo tempore putidam ingurgitare coguntur; voventes quoque attentionem Slavoniae et Hungariae ad Dravum habitatoribus, quos colere prunos (Possegga enim cum Syrmia solae plus septem mille hortorum prunis plantatorum possident jugera) eisque praeter potum, quem exinde parant, quemque (Slivovitza) summis in deliciis habent, modico usu omnino salubrem, inconsulte vesci, aliisque fructibus horraeis recentibus et immaturis, cucumeribus, melonibus, incongrua miscela fructuum cum lacticiniis, atque piscibus e paludibus captis indulgere deprehendimus, causas febrium intermittentium, quibus et decubitus humi in aëre aperto, somnique aura vespertina et roscida suam contribuit symbolam, procatarcticas probatas habemus, neminemque incolas luere sequelas rationemque, cur febres intermittentes endemicae perpetuam hic fixerint sedem, latebunt, inquilinorum aegrotationes sub nomine: Hidegláz, Tsőmőr, atque Grosnice facile interpretantes.

---

*) Bilek Statistik von Ungarn.

CAPUT II.

Causae febrium intermittentium in Hungaria et Slavonia epidemice grassantium.

§. 20

Scaturiginem febrium intermittentium epidemicarum in his regionibus principem ac communem *clima* ac *vicissitudines anni temporum* largiuntur. Hungariae enim coeli varii generis reperimus temperiem: septemtrionale frigidum, montibus insuper, qui nubes et ventos attrahunt, variabile: hic aëres in nubes coactae terram irrigant imbribus, illic densa nivem effundit procella, hinc spirat Eurus, illinc violentior incumbit Boreas; meridionale calidum, pluviis et ventis rarius ventilatum: emicant saepius fulgura, coeli temperiem exaequantia electricam; fervet coelum, arenaque in districtibus Janszág et Kunság arescit, pedesque urit. Hinc in septemtrionali Hungariae parte, continua aëris mutatione rarius febres intermittentes comparere; in parte ad meridiem sita, aestus temperie flagrante, halituque aquarum stagnantium, endemicas cieri observamus. Slavoniae quoque proprium aërem, media in terra serenum, ad fluviorum ripas miasmatibus refertum ac insalubrem, giguendis febribus intermittentibus idoneum persentiscimus.

§. 21.

Febres igitur intermittentes, dum a peculiari loci constitutione, aut ab anni temporum mutationibus pendent, pluribus infensae fiunt hominibus, atque nunc *endemicas* nunc *epidemicas* gignent febres. Epidemiarum pro anni temporibus diversae, altera *vernalis*, sub epidemiae aequinoctialis principio, altera *autumnalis* in conspectum veniunt. Hyemis quippe frigore plantarum superstitiorum arcetur putredo, dum aestiva veris interea temperies eam elicit atque sustentat.

Ab hoc vero tempore, quo germina e terra effunduntur, ac maturata pubescunt virentque, plantarum putrilago ad medium, imo finem aestatis usque restringitur; e contra, quum aestas fini adproperans in autumnum vergit, nunc otius, nunc serius intermittentes grassantur, prout vegetatio provecta, plantaeque flaccescunt paludosae, putrida stagnis advehentes seminia.

Dum igitur in Hungaria verno calore novo vigent tenore putredinis fermentationumve processus, febres reviviscunt intermittentes, a febribus epidemiae autumnalis eo distinguendae, quod typo quotidiano et tertiano, nisuve in characterem inflammatorium stipentur. Epidemia vero autumnalis, quam vehementiorem ac perdurantem comperimus, aestivo ardore dierum, ut vocant, canicularium ingruit, atque pro vario, quo humus gelu rigere incipit, tempore jam otius, jam serius finitur. Distinguitur a vernacula, intermittente quartana, nisuque in torporem atque maligniores formas, praeprimis in Hungaria parectamatibus, obstructionibusque organorum abdominalium, atque hydropsiis concomitata.

§. 22

Memoratu digna *) est profecto pro vario anni tempore febrium intermittentium typi varietas. Illarum enim, quae verno comparent aequinoctio, diesve longiores sequuntur, epidemiae typum accelleratum, quotidianum et tertianum ferunt; earum tamen, quae aequinoctio autumnali grassantur, comitesque dierum breviorum visuntur, typum retardatum, quartanum quippe portendunt; phaenomenon, quod respectu formae morborum expressae influxum solarem indicare, sententiamque doctissimi *Tőltényi*, dicentis: *„Dies amica, nox inimica vitae"* illustrare testantur.

§. 23.

Causis his procatarcticis, naturam incolarum harum regionum physicam alterari, morbosamque dispositionem in intermittentes, una alterave causa occasionali provocandas, cieri, atque varia pro regionum constitutione majorem minoremve incolarum numerum plecti febribus intermittentibus nullus non dubito. Quas tamen, ut erumpant, vix non semper prophasibus indigere excitantibus, absonum est, quum epidemiam intensam, ut specificam vicissitudinis aëris athmosphaerici causam has quoque parturiisse observaverunt. §. 15. 16. 31.

§. 24.

Dum igitur in Hungariae et Slavoniae incolas, typica, systemate nervorum automaticorum debilitato, pol-

*) Schönlein, Specielle Pathologie und Therapie. 4. Theil.

lentes dispositione, causae agunt, morbi typi intermittentis enascuntur, quo, si carerent, constitutio aëris endemica decursu morbi typum profecto intexit suum. Interea haec, quae tulimus, consilia haud ad communem dirigere malumus regulam, ut potius dispositione morbosa, endemia atque epidemia aëris constitutione faventibus sancitam deprehendis, satis gnari, morbos, dispositionesque existere, qui illis quoquomodo repugnant. In naturam horum porro investigantes malorum, dictu reque mirabile, pestem in Egypto, febrem flavam in America atque Choleram in India orientali e similibus endemicis scaturiri causis: aëre nimirum paludoso, coelique temperie calida, quin tamen triginta calorum gradus ad calculum Reaumuri excedat, (calore enim aucto, teste Bulard, abolentur) ubique praenuntiis febribus intermittentibus, quae in typhosas febres, formas intermittentium iterum recipientes, nituntur. Quibus omnibus non solum respectu causarum procatarcticarum et prophasium intermittentium, pestisque organicarum maximam obtingere similitudinem, quemadmodum in cholera confirmatum nullus dubito: verum et in peste tam orientali quam occidentali, quemadmodum medici comperere, in certis casibus jam typo intermittente stipatis, jam iterum, dum intensius vigent, evanidis similem geminamque observari indolem, nullus erit, qui inficias ibit. Queis persuasum habes, paludum miasma pro varia coeli temperie illinc pestem, febrem flavam atque choleram, hinc febrem intermittentem elici, constitutioneque endemica mutata, in quantum a soli, vitaeque incolarum rationibus prosilit, frenari atque restringi morborum pernicies. (*Tőltényi*)

CAPUT III.

Febrium intermittentium novissimis temporibus denuo grassantium ratio interpretatur.

---

§. 25.

Jam §. 2. enodavimus, magisve §. 30, 31, 32, dilucidaturi, febres intermittentes more pandemiarum, tum epidemiarum, tum endemiarum divulgari, quarum illae certas regionum, terrestriumque influxuum in homines rationes; hae summam metamorphosium cosmico-terrestrium agnoscunt scaturigines. Endemiarum, quas terra, coelo ac paupertate sollicitari, §. 9—12, annonae quippe caritate, halitu putrido aquarum stagnantium, vitae ratione, vicissitudinibus sub crepusculo et aurora foveri comperimus, explicatam habes rationem; epidemiae vero, quae propria aëris constitutione epidemica exortae, citra paludum miasmata quoque existente, longe lateque per aëres diripi, atque teporum tensioni et calori, imo terrae, utpote organisationis, viribus vitalibus, constitutionisque aëris athmosphaerici progressivae mutationi ortum, vitamque debere videntur, densa adhuc obfuscantur caligine. Enimvero, qua ratione his variae explicantur epidemiae, cur epidemiam, quae anno 1811 per orbem grassabatur, genium epidemicum inflammatorium secum ferentem epidemia intermittens characteris gastrico-nervosi exceperit, antiphlogoseos, quam in aevum palmam tenere putaverunt, occasum moliens, haud faci-

les habent explicatus. Sequentibus tamen quaestionem adumbrare fas est: Pro comperto polliceri licet, novissimis temporibus systema nervorum gangliorum eminenter dispositionem lugere morbosam. Haud acuti solum morbi sed et chronici fomitem magis minusve in penetralibus abdominis reperiunt; enimvero major caenestheseos alteratio, nervorum caduca temperies ac nisus in adynamiam, crebrae organorum abdominalium metamorphoses, gangliorumve in plexu coeliaco, disharmonia inter sensationem morbosam, debilitatem periculi plenam ac morborum symptomata leviorem ludentia formam, denique eminens morborum typicus decursus satis superque docent, prae aliis systema nervorum gangliorum fatisci atque labefactari. Id idem comprobant epidemiae recentiores, veluti cholera morbus, typhus abdominalis et febres intermittentes. Quod uberius dilucidaturus, rei medicae peritis quum alioquin perspectum, haud dissertationi competit inaugurali. Fastigante itaque gangliorum typhoso charactere, endemiaque constitutione favente, haud mirum, febres intermittentes in his florere terris, licet cultura soli clima meliorem quoque nacta fuerit indolem. Quod novissimis temporibus vero gangliorum nervis debilitatem impertit, ut vel morbi, qui febribus intermittentibus inseri nequeunt, alterato systemate nervorum automaticorum inhumentur, omnibus haud absolutum est numeris. Sint aëris luxurians vis electrica, cui impertire mavis mala, aut alia proegumena mentem effugientia, quae illa expediunt, eis contentari haud oportet; enimvero ex historia dum edocearis (colligendis a viginti abhinc annis diversarum Europae regionum scriptis medicorum) febrem intermittentem, choleram ac typhum abdominalem, ceu morbos systematis gangliorum, omnesve reliquos in characterem gastrico-nervosum propensos, exitiosis diuturnisque Gallorum bellis

prorupuisse aut ea sequutos fuisse, in absolvendam contentionem calamitates, quas bella portendere, ceu argumenta quam maxime valere defendes. Continua enim, qua agunt, mentem corpusque consummentium animi adfectuum ac pathematum vis ineffabilis, fami, inopiae, morbis, aliisve noxiis nupta in nervorum systema, speciatim vero gangliorum exitialem fundit fomitem, eoque magis, quo mentis facultates revolutione gentium quassatae, timore, cura ac moerore, quae necessario bellum comitantur, sollicitatae nervos abdominales specifica adoriuntur violentia. A quorum systemate quum organa abdominalia subjugantur, haud miraculo caperis, characterem gastrico-nervosum quoque morbis impertiri. Quodsi bello furente typhus, quem postmodum febres intermittentes, ac cholera excepere, aut finito comparuerint, saeviente bello typhum quoque postulante interpretaris; gangliorum vero morbos debilitate gangliorum, animi adfectibus ac pathematibus promota, ceu *dispositione, morbis ex epidemicis aut sporadicis causis pullulatis inhumata,* eisve characterem ganglio-typhosum impertiente in lucem proferri. Quam theoriam quoque a posteriori, militibus prae aliis, quemadmodum ex supremae rei medicae castrensis administrationis ad consilia aulico-bellica factis relationibus comperere licet, in grassans ruentibus malum, mulctisque, nec non morbo, causis licet endemicis cultura soli restrictis, fastigante constabilitam habes. Quapropter sperandum fore, sedatis regnorum odiis, rerumque civilium concordia durante, dispositionem exolesci morbosam, minusque febribus intermittentibus periclitari, nullus dubito. *(Tőltényi).*

CAPUT IV.

Effectus febrium intermittentium in alios morbos.

§. 26.

Responsi rationem ad mentem virorum celeberrimorum, quos jatrosophi ut suos jam dudum venerabantur Nestores Schönleini et Tőltenyi his dare conaturus: Modus, quo febres intermittentes in morbos suum exserunt effectum, antagonisticus non tantum in individuo, verum et in toto, tum quoad tempus, tum quoad spatium observatur. Quod rationem, quae in individuo obtingit, adtinet, medici antiquioris jam aevi summa attentione investigavere, intermittentibus vim medicatricem, qua individua erga aliorum morborum influxum se tuentur, tribui, nomenque *Febris depuratoriae* deberi, adfirmantes. Attamen hanc, quae experientia ac observationibus fundatur, doctrinam postmodum in conceptum vulgarem et usu receptum revocavere, febribus intermittentibus saeculo praeterlapso imo novissimo tempore vim depuratoriam, nullo non casu excepto, competi fingentes. — Huic superstructi opinioni, therapeutices praecepta, „cuique intermittenti dominatum in individuo aliquo tempore, quin sub ortu statim fugetur, concedendum," in opprobrium aegrorum, nulla earum in sanis secus individuis virium medicatricium quum perspiceretur ratio, sanxere. Verumvero febres intermittentes, dum individua, quo-

rum sanitatem jam morbi exusserunt, adoriuntur, hos jam remorari, jam abolere visuntur. Inimicos igitur, quibus gaudent, earum in morbos effectus deprehendis:

1. In *impetigines*, in herpetem praeprimis et porriginosas formas, quae eruptione febrium intermittentium saepius fugantur, evanidis intermittentibus haud raro in cutem regredientes;

2. *In phthisin.* Phthisicorum, dum intermittente, quam rarius, hectica solum intermittentis formam mentiente, reperire fas est, corripiuntur: animadvertimus ea vigente symptomata pectoris morbosa minui, topicamque colliquationem restringi, abolita in perniciem aegrorum florere.

3. Insidiantur vero febres intermittentes eminenter *neurosibus abdominalibus.* Mortales, quos cardialgia, epilepsia abdominalis, hypochondria ac hysteria premit, febribus intermittentibus vel penitus, vel eorum pro tempore, quo vigent, his liberantur malis. Salubrem praeterea novus accessus intermittentium in ipsa, quae intermittentes paruere, posthuma mala, quemadmodum *icterum, parectamata* organorum abdominalium etc. exserit effectum, ut, quum aliis haud cedant remediis, depuratoriarum nomen jure sibi vindicarint. Gravissime tamen medico, qui medicinam facit, interest scire: quando febris intermittens vices agat depuratoriae, quo casu, quin febrifuga propinentur, eam fovere oporteat, quando non?

Intermittens depuratoriae nomine ut veniat, sequentibus fulciri oportet momentis:

1. Connubio cum alio morbo, quo si caret aut nulla obtingit relatio, intermittentis virtutem depuratoriam abjurato.

2. Experientia confirmandum, morbum, cui insidiatur intermittens, periculi plenum, sanatuque intermitten-

ti difficiliorem, quapropter in scabie, herpete, aliisve, accessus intermittentium efflorescentias abolientes cutaneas, ut malum omen praedicabis.

3. Morborum, qui e sinu febrium intermittentium, quemadmodum icterus, et obstructiones viscerum abdominalium, proserpsere, ingruente intermittente recessus confectim aut apyrexia proxima observetur, necesse est. Quod quum non observaveris, imo increbescente symptomatum vigore, intermittentem, ni opprobrium aegrorum mavis, quoquomodo debellare conaberis.

Haec momenta veluti criteria intermittentis depuratoriae therapiae indicabunt normas. — Relatio quoque intermittentis ad statum individui morbosum ac totius prosapiei humanae tum quoad tempus tum quoad locum eadem obtingit, ad determinandum proin morbi characterem quam maxime necessaria. Intermittens excludit phthises, eodem loco aut grassari inhibet, aut saltem sibi obices ponunt, in Belgia praeprimis observandae. Antverpiae ad ripas Scaldis fluvii et Rheni ostia, quibus intermittentes inquilinos reperis, phthises rarae comparent. Bruxellae vero, vix octoginta pedes maris libella altius sitae, inque cujus regione phthises florent, intermittentes languescunt. Idem in Italia obtingit rerum status. In solo ignivomo Maremmarum, in quo intermittentes increbescere reperis, vix conspicis phthises, hae vero Terracinam ad Neapolim usque, item maris littora occidentalia, effeta intermittente pervagari dicuntur. Cognitione horum, si rite intellexeris, haud parum in curandas phthises, inprimis pulmonum, contribuere; queis selectum quoque locorum opportunum diriges, multis probatum habebis exemplis. Quare non omnis Italiae regio, imo Neapolis aegris ex phthisi laborantibus conducit, quum Roma et Maremmae veluti regiones intermittentem parientes prospere faveant. Idem respectu

phthisium ac intermittentium in Hungaria observare liquet; haud vero, ut unus excludat alterum, ut potius phthisicos simul intermittente prehensos observaveris, aestiva locorum depressorum temperie placandos. Quemadmodum pro loci sic etiam temporis ratione hic observatur antagonismus. Fastigante intermittente evanescunt phthises, et vice versa. Hanc quoque aversationem, influxumque antagonisticum intermittentis in phlogoses, geniumve epidemium inflammatorium animadvertimus. §. 25.

§. 27.

Praeter hanc intermittentium ad certas morborum formas rationem, illam ad morbos temporis si perpendis, videor videre, pandemicos morbos nostro temporis, quemadmodum gangliorum typhum et choleram ex communi cum intermittentibus profluxisse scaturigine, influenzam quoque, cujus elementum organicum systema membranarum mucosarum sistit, hunc tenuisse characterem, magna proclivitas in adynamiam, depletionumque sanguinis exitiales testantur effectus; idem comprobant connubium intermittentium cum aliis morbis atque frequentia larvatarum sub schemate aliorum morborum, (quemadmodum ipse non solum in Hungariae diversis locis creberrime, sed et Muri in pago Austriae interdum expertus sum) haud facile dignoscendarum, praesertim dum catarrhis ac rheumatalgiis junguntur. Sententiae documentum praebent quoque frequentes gastrico-saburrales ac biliosae et pituitosae febres in neurosin gangliorum labentes, imo quod vel inflammationes a constutione hyemis postulatae debilitate systematis gangliorum generatim in adynamiam nitantur, atque chronici morbi id observare sinant. Quare igitur rationem, cur nostris temporibus antiphlogosin tam arctis sepserint terminis, chinae vero ac ipecacuanhae, quae praeter systema nervo-

rum sanguinem a nervis vasorum debilitatum sollicitant, a nonnullorum intelligentia ac sensu disjunctam, cujusve interpretatione Oedipo conjectore opus esse rebantur, pro comperto his declarabis.

CAPUT V.

Discrimina febrium intermittentium paludosorum a reliquis, earumque tractaminis.

§. 28.

Characteres essentiales, ac constitutivi, quibus paludosae a reliquis febribus intermittentibus differunt, haud facile unquam investigari poterunt, quum utraque identica, ejusdem naturae imo originis, et quamvis paludosa phaenomenis, quae ab iis vulgarium intermittentium variant, stipetur, imo modificatum (cujus natura vero eadem perstat) tractamen postulet, forma tantum disparia concedit discrimina, haud aliud probans, quam formam pro variis regionibus et vario solo, prouti causae excitantes aut fastigant aut fatiscunt, variam, indolem vero ac naturam eandem persistere. Hinc natura et origine utrique eadem competente probatis, discrimen solum decursum, compositionis et complicationis rationes, hisve modificatum tractamen concernit.

§. 29.

Haud facile reperitur, quem lateat, aut qui negare cupiat, phaenomena constitutiva ac essentialia ad statuendam intermittentis diagnosim periodicitate quadam et typo determinari intermittente, frigore quippe, calore et sudore, diverso gradu ac temporis ratione aegrum adorientibus, regressisque tempus apyreticum, quin morbus, licet aegri fugiat sensum, aboleatur, offerentibus. Verumvero neque palustres, neque reliquae intermittentes

sub continui comparent typi forma, edocemurque iis casibus, quibus intermittentem et inprimis paludosam in continuam vergisse dicimus, connubium alterius morbi, cujus symptomata haud amplius intermittentis primariae sunt, facili cognosci posse negotio; hanc ipsam evanescere imo affectionibus, quibus comparuit, secundariis repraesentari; intermittentium continuum decursum iis tantum rarioribus observari casibus, quibus paroxysmi se invicem adtingere atque solvere videntur, eosve idcirco non minus, febribus intermittentibus, quas *subintrantes* vocamus, merito deberi; denique phoenomena harum, quae constante et certo ordine stipantur, artificiose exstructis ac commutabilibus morborum formis, sub nomine *continuarum continentium* notis, nequaquam tribui posse, Queis prototypo ac natura febres intermittentes compares defendes. Quae vero sit earum natura, pathologi affatim docuere, ejusve focum in systemate gangliorum et quidem *abdominalium*, ceu catexochen *febrem nervosam* factis irrefutabilibus ad amussim demonstravere, quemadmodum ***Brachet***, ***Tissot***, ***Reil***, ***Hofmann***, ***Hufeland***, ***Sprengel***, ***Schneider***, ***Berndt***, ***Baumgärtner***, ***Tölténýi*** *) aliique praeclare disserunt.

§. 30.

Inquirens in originem, causasque febrium intermittentium videor videre, his quoque characteristica, quibus paludosae a reliquis intermittentibus differrent, haud pro comperto haberi, quum ortus febrium intermittentium ubique causis, quae *typicum* quoque earundem characterem duce ***Roche*** interpretari volunt, iisdem deberi videatur. Constat **) enim inter omnes, plerasque febres intermittentes tetra paludum colluvie promanari; enim-

*) *Tölténýi* Kritik der wissenschaftlichen Grundlage der Medicin.
**) Universal-Lexicon der practischen Medicin.

vero experientia multipla edocemur, hos morbos ad littora maris, prope lacus et paludes, omnesve regiones, quae agnis stagnantibus scatent, endemios obvenire. Simili endemica imo epidemica ratione febris intermittens grassatur ad littora maris adriatici, a sinu, cui nomen Golfo di Lepanto, juxta lagunas Venetiarum urbis, paludes Mantuanas, et sinum Tarentinum atque paludes Pontinas, sinum Terraciniacum et Tiberis ostium; item prope sinum Januanum et Lugduni Segurianorum, in insula Malaga et prope fretum Herculeum, Gadibus quoque ipsis, Lisboae, Bayonne, Rochefort, Rochelle, Vliessingae et in Hollandia; item in regionibus palustribus fluviorum Gallicorum Sologne et Tourain atque in Gallia Narbonensi nec non in Hungariae multis regionibus. Adstringuntur porro terrae regionum argillosae, ab humoribus, qui aquis in superficie soli retentis aestu vernali item autumni pluviis, quae crustam calore aestatis formatam dissolverunt, halituumque expediunt dissipationem, emanavere, explicandae. §. 14.

§. 31.

His autem repugnare dices, febres intermittentes in regionibus, quibus nec paludes nec stagna; in montibus, qui intermittentium finem elevationis supereminent, neque gignendis Cereris frugibus idonei: quid? in ignivomo solo, veluti miasmatum, quibus intermittentes propullulunt, formationi opposito dominari. Haec tamen explicatus habent, si respexeris, miasmata febrium intermittentium sua ex patria per aëres in alias quoque regiones disseminari, aut progressivam aëris atmosphaerici endemii mutationem obtingere. Quod alteram attinet refutationem, intermittentes e plano in montes usque diripi, ut epidemia Bogenae Tyrolis anno 1828, quem locum supra maris libellam quatuor usque quinque millia pedum in altitudinem eminere scimus, explicatur, quod febres inter-

mittentes in locis, quibus endemicae sunt, interdum vehementer saevientes repente e profundo attollantur, auctum impetum elevationis fine extenso significantes. Formationem denique miasmatum solo ignivomo spectans, acriter disceptari adhuc oportet inter doctos, num illo, quamvis ab aliis, quae intermittentes progeniunt, causis diverso non unum idemve gignatur productum (miasma intermittentium) a chemiatricis revelandum fore sperantes.

§. 32.

Prophases hae, quae in gignendis febribus intermittentibus semper eaedem perstant, nisi quod modo vehementiores, modo mitiores, hic climate modificatae, illic haud permutatae, partim endemiam, partim epidemiam, generatim vero pandemias constituunt, prae omnibus hucusque relatis doctrinis, rationem ipsius characteris intermittentis horum morborum illustrare videntur. *Roche* enim erat, qui adfirmaverat, febres intermittentes nonnisi causis, quae illis typum impertiunt intermittentem, promanari. Equidem verum, dum causas, quae intermittentes progeniunt, scrutamur, reapse intermittentis reperimus characteris. Disserit autem *Roche*: *).

Ver et autumnus anni tempora sunt, quibus intermittentes comparere conspicimus. Autmnus inprimis febres e paludum miasmatibus ortas virescit. E statu cuique anni temporum proprio, quo dierum et noctium temperies modum distinctas, imo paucis horis ter quaterve mutatum aëris athmosphaerici statum persentiscimus, perpetua quoque in oeconomiam animalem, quae vicissitudines, quas saepius perceperat, in consuetudinem recipit suam, actio et reactio prosilit. —

Paludum miasmata certo diei tempore exiguos aut fere nullos exserunt effectus, quos tamen certa hora vigore intensos exercent. Putrida vegetabilium miasma-

*) Universal - Lexicon der practischen Medicin. 1839.

ta, dum solis ardore eliciuntur, majori emanant copia, quae, dum sol occidit, inhibentur, aërisque strata humi proxima condensantur, aquam miasmatibus inquinatam, quam solutam continuere, in terram praecipitantes. Haec miasmatibus scatens aqua, quae eo copiosior, quo frigidior, comparet, cuti externae, membranis mucosis viarum respirationis imo tractus intestinalis communicata, absorptaque phaenomena parit, quae paroxysmum intermittentium confirmant.

Quum igitur paludum miasmatum effectus intermittentis sint generis, morbum ab iis provocatum quoque intermittentem, minime mirandum *Roche* rebatur, adserens regressus paroxysmorum nisu, quo organa actiones, quas saepius exercuerant, novare consuescunt, proprio interpretari, quamvis causae, quae primitus eos provocaverant, agere cessaverint.

Verumvero saepissime et perfrequenter accessiones, a se invicem haud dependentes, causis renovatis regrediuntur, quibus deficientibus quoque deficerent. Contentionem hanc praxi absolutam quoque intelliges, quum mortales intermittentibus mulctos post recessum regionum, quas habitaverant, paludosarum convaluisse observaveris. Impetus denique aequaliter pro consuetudine et pro miasmatum durante effectu ali saepius comperire potes.

§. 33.

E praecedentibus itaque cognoscere liquet, febres intermittentes tum paludosas, tum reliquas non modo natura, sed et genesi non discrepari et nonnisi fortuitas a variis momentis externis pendentes, haud vero essentiales differentias, easve tantum respectu decursus, compositionis et complicationis earum cum aliis morbis, indeque modificati tractaminis concedi, quod vel denominatio earum, palustrium quippe et reliquarum significare videntur. Verumvero, utut haec ratio, qua invicem inter-

mittentes paludosae ad reliquas se habent, admitti debeat, illae tamen respectu praxeos majorem exigunt medicorum attentionem, solertioremque: quum non tantum indole pertinaciores ac affraenes, sed et deleteriores notis ex causis humanum adfligant genus; hae vero 1. faciliores sanatu; 2. typi, quibus paludosae insigniuntur, dissimilitudines haud praeseferant; 3. consuetim typo quotidiano aut tertiano nobilitentur; 4. in recidivas rarius nitantur; denique 5. organorum abdominalium desorganisationibus, eorumve posthumis malis vix saepius stipentur.

§. 34.

Si auctorum, quibus tot occasio in paludosis regionibus observare fuerat febres, et quorum fidem, quemadmodum *Pet. Frank*, *Val. ab Hildenbrand*, *Sebastian*, et aliorum jure facere possumus, observationes de his morbis rite perpendis, indolem illarum *intermittentem* probatam habebis, jamque *normali* jam *abnormi* stipatam decursu.

§. 35.

Enimvero observavere medici, febres in paludosis regionibus intermittentes *exquisitas* quae tam *paroxysmorum*, quam *apyrexiae* et *typi* consuetum retinent ordinem. Comparent itidem *abnormes*, idque frequentius, ut anomalo, imperfecto et irregulari, quo medicorum perturbant consilia, decursu sibi paludosarum nomen, utpote propriam et distinctam a febribus intermittentibus speciem vindicaverint.

§. 36.

Quae nunc sint solenniores et potiores, sub quibus febres, ut dicere placet, paludosae intermittentes comparere solent, formae, illustrare nostri erit; haud habentes respectum aliarum morbo rarius convenientium, exstantibus pluribus operibus, ingeniose et dilucide singulas exponentibus divisiones.

§. 37.

Respectu typi primo observaverunt medici, has febres vernali tempore primario incedere cum typo *tertiano*, alternis quippe diebus paroxysmum, intercalari apyrexiam exhibentes. Quotidianae, dum hoc conspiciuntur tempore, vix non semper *tertianam duplicem*, quotidie quippe paroxysmo instructam, praesentant, quorum tamen alterni et tempore invasionis et symptomatibus correspondent. Quartanae vernales, sub epidemiae aequinoctialis principio comparentes nil aliud quam recidivas autumnalium significant; secus *constantem* autumni progeniem sistentes. Accedit et saepius Haemitritaeus omni altera die duos celebrans paraxysmos, intercedente nychthemero apyretico, a febre quidem nusquam libero.

§. 38.

Vix raro contingit in his regionibus, ut paroxysmi vario recurrentes typo, communiter tamen tertiano, sub persona seu schemate insoliti cujusdam symptomatis absconditi decurrant, essentialibus prorsus defecti signis. Veniunt hae species febrium intermittentium nomine *larvatarum*, quae sua a formae varietate sortiuntur nomina, et vel sub schemate *phlogoseos* id quidem rarius, vel *neuroseos* et *eccriseos*, quod crebrius, visuntur. Referuntur huc nunc *comatosa*, *syncopolis*, *colica*, nunc *emetica*, *cholerica*, *dyssenterica*, omnesque choro perniciosarum adnumerandae.

§. 39.

Febres *) *comatosae* durante paroxysmo soporis vario gradu et forma stipantur; unde mox *lethargicae*, mox *apoplecticae*, mox *caroticae* nuncupantur. Praecedentibus capitis gravativo dolore, vertigine, oculorum caligatione, non raro stranguria et urinis versicolore cuticula tectis, attonitus procumbit aeger, ore semiaperto, palpebris conniventibus, lingua aspera et livida, ac somno opprimitur

stertente, e quo nunc sponte evigilat, denuo obdormiens, nunc autem ullo excitari potest modo, nisi paroxysmus finitus fuerit ad vigenti quatuor plerumque extensus horas, ac tertiano typo libenter recurrens. — Febres soporosae post aliquot recursus exitium facile parant.

§. 40.

Febres *) *syncopales* ita contingunt, ut sapore metallico, viscerum doloribus, vertigine, amblyopia, aurium susursu corripiatur aeger; pallet demum ac friget, oculis in orbitam relapsis, quovis autem sub motu et conatu ad erigendum se anima deficitur et pulsibus, sudore difluens frigido et viscido moribundo similis. — Post moram breviorem ad se reddit aeger, viribus tamen defessus, vix loqui prae debilitate valens, cum pulsibus contractis et exilibus. — Tertio quovis die occurrit Syncope ac sub quarta vel quinta invasione, interdum citius, aegrum e medio tollit.

§. 41.

Febris ***) *colica* haud infrequens atrocibus jungitur abdominis doloribus inflammationem acutissimam aemulantibus, cum angore, frigore artuum, ventris constipati inflatione, scroti spastica retractione, pulsibus velocissimis et parvis, debilitate maxima. — Per circuitus tertianos ut plurimum rediturae accessiones brevi perniciem minitantur.

§. 42.

Febris †) *emetica*, cui circa paroxysmorum initia effraenis vomitus biliosus, aut unacum illo similes secessus alvini adsociantur periodice redeuntes (*Febris cholerica*) aestiva sub epidemia non est rara, et facile internecina. Febris *dyssenterica* antiquis haud ignota, periodico distinguitur alvifluxu cum torminibus et tenesmo.

§. 43.

Periculo haud minore ac larvatae infestant incolas harum regionum febres intermittentes eae, quae constan

---

*) *) *) †) Hildenbrand. Institutiones medico-practicae. Viennae 1821.

tibus et constitutivis paroxysmorum comitibus utpote frigore, cephalalgia, calore et sudore non destituuntur, ast ad altiorem elevatos potentiam ostendunt, et quas *comitatas* vocamus. Sunt itaque febris *algida*, *cephalalgica* et *sudatoria*, quas *Tortius* classico jam desseripserat ordine. Saepe tamen deficere stadium frigoris calore intenso praesente experti sumus.

§. 44.

Omnium vero frequentissimae sunt febres intermittentes *subcontinuae*, utpote tales, quae complicatae cum alio morbo, vel insolita systematis cujusdam organici passione stipatae luculentas haud celebrant apyrexias. Ingruunt veluti intermittentes et eodem pacto curriculum absolvunt suum. At quum ad apyrexiam pervenerit, febris nequaquam totum cessat, sed tantum decrescit, ita nempe, ut loco apyrexiae, *remissio* solum morbi habeatur, donec novus paroxysmus exacerbationem simulans advenerit. Paroxysmus hic plerumque levi horripilatione aegrum adgreditur, sequntur calor et plus minusve sudor. Nova apyrexia, seu remissio, ut plurimum, antecedente minus evidens est, adeo, ut morbus, quo magis ingravescit, eo magis adspectum febris continuae exhibeat; quae passim febris *catarrhalis*, *rheumaticae*, aut *gastricae* naturam aemulari videtur, saepeque difficulter ab his distinguitur, praecipue dum paroxysmi typum solarem sequuntur, et vesperi aut noctu comparent. Criteria sunt, dispositio morbosa, singularis habitus, solito major exacerbatio, etsi frigus adest, hujus praesentia.

§. 45.

Pro varia nunc symptomatum organicorum laesione ac compassione praevalente, prouti nempe vel systema motorio - sanguineum, vel nervosum, vel reproductivum eminenter patitur, jam febres intermittentes subcontinuae *infflammatoriae* aut *putridae*, jam *nervosae*, jam *gastricae* aut *cachecticae* in conspectum veniunt.

§. 46.

Communissimae harum in regionibus calidis, uliginosis, temporeque aestivo annuntiantur Febres intermittentes *gastricae biliosae*, lingua flava, sapore amaro, vomituritionibus similibus, vomitu fellis aut prasini, sudoribus profusis, hepatalgia, polycholia aliisve signis distinctae. Earum, quae in Hungaria inferiore obvenire solent, imaginem *Jos. Frank* sequentibus depingit:

„Febres intermittentes, quae in Vallachia, Molda-„via, Bessarabia, Chersoneso Taurica et in Hungaria in-„feriore *endemice* grassantur, ad indolem gastrico-in-„flammatoriam accedere videntur. Illae, duce Minderer „(über den Hemitritäus in den südlichen Provinzen des „Russischen Reiches von Hufeland's Journal der prakti-„schen Heilkunde 1809 2. St. p. 1. etiam Berolini 1809.) „pro peculiari morbo sub nomine Hemitritaei Daciae „quondam (in prima scilicet hujus operis editione) de-„claravi, idque immerito. Serius enim plurimi medici ex-„perti, qui diu in Dacia praxin exercuerunt, de intermit-„tente illius hemitritaei indole me certiorem reddiderunt. „Praeterea ipse reliquias hujus morbi saepius Vilnae in-„ter centuriones militum, qui ad exercitum Moldavicum „spectarunt, observavi, illas omni sub respectu cum ma-„lis a febribus intermittentibus alias relictis, convenire. „Ac re quidem vera, si perpendamus, febres, de quibus „sermo est, in regionibus paludosis, aestate in autumnum „vergente, noctibus frigidis, dies praeter modum calidos „excipientibus, regnare, atque somno in aëre aperto, de-„cubitui super solum humidum, esui nimio fructuum „horaeorum et praecipue melonum, animi pathematibus „et defatigationi ortum debere, indolem illarum intermit-„tentem ex aetiologia probatam habemus. Accedit sym-„ptomatologia, veram imaginem *febris intermittentis sub-„continuae Tortii* exhibens. Morbus enim extemplo ple-„rumque horis pomeridianis a frigore, haud tamen con-

„stanti, incipit. Mox sequitur calor intensus viscera adu„rens. Aeger debilitatem artuum, dolorem lumborum, „ardorem in regione epigastrica, anxietatem, nauseam, „vomituritionem accusat. Accedit vomitus biliosus sine le„vamine ac sub continua jactatione. Ita pungentes dolo„res hypochondriorum et pectoris, cum sensu constrictio„nis totius abdominis. Alvus aut stricta aut laxata ni„mis. Faeces biliosae, foetidae. Urina parca, obscure ru„bra, potus coffeae instar, interdum atra. Superficies cor„poris ab initio sicca, aspera, dein humida. Vigente vo„mitu sudor copiosus sine levamine prorumpit. Apud plu„res species urticariae alternatim in cute apparet et eva„nescit. Sub nixu ad vomitum, vomituque ipso, non raro „epistaxis, absque symptomatum imminutione, in conspe„ctum venit. Urgent inquietudo, insomnia, cephalea, de„lirium, siccitas oris, sitis inexplebilis, angustia respira„tionis. Facies collabitur atque a forma consueta valde „recedit, oculi in orbita profunde jacent, eorum ictus fe„rox. Vasa albugineae turgent, ipsa vero albuginea non „flavet. Pulsus inconstans. Lingua pura, serius tantum „alba, flava, nigra. Circa mediam noctem angustiae, vo„mitus et calor remittunt, pulsus vero febrilis manet. „Secunda morbi die mane morbus de novo exacerbatur, „iisdem symptomatibus, sed majori vi urgentibus. Sitis „praecipue intolerabilis et potus ingurgitatus vomitu red„ditur. Versus meridiem nova remissio, citra eum pul„suum. Tertia die aeger expergefit sublevatus, et sta„dium remissionis ad pomeridianas horas protrahitur. „Exacerbatio hic ingruens minoris momenti esse solet. Ita „exacerbationes longiores sed mitiores, cum exacerbationi„bus brevioribus sed fortioribus alternatim eodem ordine „eademque vi contingunt ad septimum usque diem. Hoc tem„pore symptomata ad acmen perveniunt. Si tunc vomitus „spontaneus creber oriatur, si faeces foetidae, biliosae co„piose secedunt, si urina multa rubra — crisis. Alias remis-

„siones evanescunt, febrisque fit quasi continens cum delirio, „sopore, cutis calore flavo, singultu, tremoribus, subsulti„bus tendinum, alvo clausa, abdomine tumido. Mors sequitur „die decima quarta, vel si tardissime, die vigesima. Non „raro vero morbus in febrem intermittentem transit, sed re„bellem, aegrum ad ossa usque emaciantem, interdum tetano „vel parotidibus stipatam. Nec autopsiae cadaverum alia lar„giuntur symptomata, quam illa, quae post febres inter„mittentes observari solent. Inveniuntur nimirum in ca„vitate cranii — fluidum viridescens, vasa cerebri et me„ningum valde dilatata, et sanguine turgida; in pectoris „cavo — pulmones sanguine referti, coloris viridis ni„grescentis; in abdomine singula viscera lurida, viridia, „ventriculus et intestina flatibus distenta, arteriae coro„nariae ventriculi et vasa sanguinea intestinorum admo„dum ampla, universus tubus intestinalis colluvie obscure „viridescente, odoris specifici, obductus, tamen sine „notis inflammatoriis; hepar volumine auctum et colore „solito obscuriore notatum, cystis fellea bile tenaci re„pleta et lien interdum turgidus. Quodsi Minderer ne„get, febres Daciae ad intermittentes spectare, quia cin„chona non debellantur; adversarii id quidem in morbi „principio, at non serius, concedunt. Et quomodo cortex „in febre intermittente, complicationem gastricam exhi„bente, nullis praemissis evacuationibus, conducere pos„set? Verum praeterea emetica Minderer damnat. Neque „id mirum. Quamvis enim autopsiae cadaverum veram in„flammationem non patefaciant, testantur tamen de conge„stionibus in cerebro, pulmonibus, ventriculo et hepate. „Hae sane evacuationum sanguinis saltem localium ope „ante usum emeticorum debellandae forent."

§. 47.

Inter ea, quae mephitica paludum et uliginum effluvia creant nocifera endemica, pertinet adhuc fatalis complicatio cum scorbuto, *febres intermittentes subcontinuas*

scorbuticas ut summe periculosas, meritoque *perniciosas* sistens. Insigniuntur languore virium vitalium summo; oxydatione sanguinis imperfecta; coagulabilitate exigua; fluiditate majore; colore atrorubente; nisu in haemorrhagias; non raro peticulis; diarrhoea aut dyssenteria colliquativa; ephidrosi foetida; largissima; urina crassa; algore universali; anodynia; facie hypocratica; halitu grave olente; vertigine; anxietate; inquietudine; pulsu exili, molle, irregulari; syncope; asphyxia lethali.

§. 48.

Praeter febres intermittentes, quae systema nervorum eminenter laesum ostendunt, et quae nonnunquam in his obveniunt regionibus, *nervosas*, conspicimus adhuc *cacotrophias*, intermittentium creberrimos comites et soboles, *hepatis* quippe et *lienis infarctus, indurationes, hyperepidoses*, unde non solum digestionis, chilificationis et excretionis alvinae laesiones variae, verbo operis vegetationis integrae: icterus, hydrops, leucophlegmatia, tabes aliaque multiplicia et posthuma mala suam petunt originem.

§. 49.

Has plerumque admittunt febres intermittentes in paludosis regionibus a norma deflectentes imagines, quas, si rite intellexeris, non naturae, sed formae diversas defendes, *curamque* citra prophylaxin propriam unice *distinctam* mox enodandam, non aliam, quam ab omnibus auctorum in febres intermittentes propositam, *sedulo quippe circumspectu circumstantiarum omnium, paroxysmorum et symptomatum singulorum, manifestarum intermittentium et larvatarum, compositarum et complicatarum, totiusque morbi decursus aestimatione singulari*, modificatam institues.

---

*) Jos. Frank. Praxeos medicae universae Praecepta.

§. 50.

Singularem igitur aestimationem morbus saepefatus respectu *prophylaxeos* expostulat, quae causas eum producentes amovere atque enervare doceat. Spectant huc: *) stagnantium aquarum et paludum exsiccatio, in quibusdam Austriae provinciis jussu Regiminis jamjam tentata; constructio molium ad inundationes praepediendas, ventilatio domuum antea inundatarum; leges oryzae et pratorum irrigatorum culturam in vicinia urbium et oppidorum interdicentes; edicta, ne paludes, quarum superficies jam jam solidescit, sine necessariis cautelis subverti et reliquae in piscinas converti possint; combustionis vegetabilium super solum paludosum, utpote fossis ansam porrigentis prohibitus; Reipublicae conatus culturam Oryzae in solo sicco vegetantis nuper in Europam introductae universalem reddendi; propositiones a medicis castrensibus potissimum legionum Praefectis suggerendae, ne praeter necessitatem aquas in fossis urbium munitarum stagnare patiantur; ne militum stationes prope paludes ponantur, neque, si fieri potest, ipsa castra loca uliginosa attingant, aut saltem curent, ut nemus ea a castris separet. Medici nautici periculum patefaciant, quod imminet, dum naves prope littora paludosa in anchoris expectant, aut dum nautis et classiariis permittitur noctes in terra uliginosa transigere. Ad pravos effectus aëris nocturni in regionibus calidis praepediendos, lavatio ope aquae sale marino imbutae suadetur, etc. etc. In genere febres intermittentes, vel ex paludum praesentia endemicae, vel ex ignota constitutione annua epidemicae avertantur: fuga solerti causarum hunc morbum excitantium, praecipue humiditatis, somni in aëre aperto, fructuum horraeorum, melonum; etc. victu nutriente, atque digestu facili, aromatico, modico vini aut cremati usu, munditie tandem corporis. Ut demum *) publica salus earum ditionum,

*) Val. ab Hildenbrand. Institutiones medico-practicae. 1821.

quae endemicis abudant febrium intermittentium seminiis, eo facilius servetur, subditos requisitis Hygienes principiis instruere, ac tale munes scholis publicis, vel parochorum curae committere omnino juvaret.

Theses defendendae.

I. Fruchtbringend entsproßt die Chirurgie nur aus dem mütterlichen Boden der wissenschaftlichen Medizin.

II. Sensuum nullum divortium, nullusque principatus.

III. Materiam inter et vim nullum obtingit in subjecto discrimen. *Töltényi.*

IV. Calx stemma mundi.

V. Febres intermittentes paludosae haud differunt a reliquis.

VI. Febrem intermittentem ex adfectione systematis nervosi exquisite scaturire, defendes.

VII. Non esse specificam febrim puerperarum, sed eandem cum regnante, modificatam solum a puerperio.

Stoll.

IX. Magnetismum animalem haud vilis aestimato in medicina momenti.

X. Superfoetatio et superfoecundatio ludibrio medicorum commenta.

XI. Amputationes artuum mancae plerumque medicae dignitatis documenta.

XII. Amaurosis symptoma et morbus.

XIII. Medicus, qui contagiosos fugit morbos, haud semper vilipendendus.

XIV. Disciplinis chemicis summam, qua vales, medicus dicato operam.

XV. Religio tamen per orbem terrarum tantopere dispar, diversam ubique impertit mortalibus consuetudinem, non raro inique interpretata in opprobrium sanitatis cedentem.

Töltényi.

XVI. Suicidium vesania.

XVII. Das eigentliche wahre Erkenntniß über Mordverbrechen geht von dem Arzte aus, und von diesem entnimmt erst der Richter den Maßstab zu ihrer Verurtheilung.
